LATINI LATINII VITERBIENSIS

OPINIO DE EA HISTORIAE *Socratis Sozomeniq. parte, qua Nectarij Episcopi factum de abrogato Paenitentiario presbytero continetur.*



ROMAE

Ex Typographia Bartholomaei Bonfadini

M D LXXXVII

DE PRAESIDENTIVM AVCTORITATE

LATINVS LATINIVS VITERBIENSIS

Sacrae Theologiae studiosis S. D.



Vae longo temporis curriculo tacito quodam hominum suffragio probata sunt, ea si quis temere infirmare conetur, id vnum facile consecuturus est; vt, cum arrogantiae nomine apud omnes male audiat; tum, vt in ijs, quae singulari diligentia, & fide tradiderit, eius testimonium nemo recipiat. Quod ego vitium, vt a me longe alienum esse quiuis intelligat, dedi operam, ne in infirmanda veterum Scriptorum fide, quicquam prius auderem, quam exa-

minatis sedulo, matureq. singulis rebus, quae in eius generis scriptis merito consideranda sunt, veritatis mihi lumen, subobscurum licet, certum tamen aliquando Deo volente, affulsisset. Hoc veritatis lumen si, qui eruditi sunt rationibus, argumentisque a me allatis, tamquam face praelucente, videbunt; non temere a me quicquam tentatum gaudebo. Sin minus, cum homo sim, aequo animo feram errores meos palam argui; atq. eo nomine me nō mediocrem gratiam bonis omnibus habiturum esse polliceor. Valete. Romae, Idib. Sept. M. D. LXXXVII.

OPI-


I quis post ea, quae acri iudicio considerata, diligentiq. studio notata, atq. collecta sunt a Iacobo Billio, viro doctissimo; quaeque breuissime attigit Melchior Canus de Socratis Scholastici historiae scopo amplius quaerēdum postulet; operae pretiū (vt ego sentio) non mediocre facturus videbitur. Cum enim is callide quae scripsit, non facile se probaturū bonis omnibus suspicaretur, in ijs praesertim gestis, in quibus Nouatianorum laudes explicantur, id in primis summo studio conatus est assequi, vt Lectorem sibi cōciliaret, omnemq. suspicionem amoliretur, nihil a se proditum iri, nisi explorata tum sedulo, atque compertum. Idq. frequēter protestatur, ac repetit ve-

Lib. 1. 26. sac. obseru. Lib. 11. penult. fine de cis theo.

terator eximius, quo ſcriptis ſuis facilius impetret firmiorẽ fidem. Conſcius enim fraudis non putauit ſibi ſimpliciter progrediendum. Ea vero ratione, fraudolẽta illa quidem, ſed nõ facile ab omnibus intellecta, auſus eſt nonnulla Nouatianorum ſuorũ geſta frequẽter inſerere, eaq; tamquam ab alijs commendata recenſere, vt aliorum fide hiſtoriae au ctoritas niteretur, in quos nullum partium ſtudium vel leuiſsima ſuſpicione cadere videretur. Cum igitur ſenſim, quaſi per caecos cuniculos eo progreſſus eſſet, vt ad ſũma, quae callide perſuadenda legentibus moliebatur, iam patefactum aditum arbitraretur; ineptiſsimam fabulam cõmentus, contra omnem hiſtoriae veritatem ſcriptorum ſuorũ monumentis impudentiſsime prodere auſus eſt. Eam, ne quid ex me additum, imminutũ, immutatumue ſuſpicari

quis

quis possit, ijsdē verbis hic describendam curaui, quibus ante annos plus minus xx. Ioānes Christophorsonus Anglus Cicestrensis episcopus Socratis huius, & aliorum quattuor Ecclesiasticam historiā Latine reddidit. Ita enim scriptū legimus: *Per idē tēpus, &c.* quæ integra describentur infra. praestat enim singula eius verba mature expendere, vnde commētitiae fabulae fraus facilius intelligi, planeq. manibus teneri ab omnibus possit. Nā praeterquā, quod falsum plane fundamentū cōfidentissime durissimae frontis homo iecit, tum ipsa secum fabula pugnat, tum veritatis in ea caput nullū, pes nullus apparet; praeter illud vnum, cuius gratia tota haec egregia fabula ficta est; vt Nouatianorū impiam sententiam decepti specie boni catholici quiq. probarēt, atq. amplexarētur. Sed necessariū est, vt

quam proſpicio difficilem ſalebrā mihi initio oppoſitam, ſtudeam pri mū iuuante Chriſto ſuperare. Quis quantuſq. vir fuerit Ioannes Chryſoſtomus, omnes norunt, quanta eius in catholica Eccleſia auctoritas omnia monumenta teſtantur. Is autem, ſi vera legitimaq. eius ſcripta sūt, quae olim a Petro Lombardo, nuper vero a Xyſto Senenſi, vberius collecta, & notata ſunt vel inconſtantiae non mediocris, vel parum orthodoxi dogmatis nomine merito arguēdus videtur, quod ego tamen nunquā facere auſim, ac propterea in eam ſententiam libentius venio, vt vel non eſſe Chryſoſtomi ea ſcripta putem, vel ſi eius eſſe concedā, ab haereticis Nouatianis praeſertim ea omnia fraudolenter inſerta fatear; quae cū alijs eius ſcriptis pugnare palam videntur. Ex Chryſoſtomo autem (vt probabili conie

Sent. 4. d. 17. Biblioth. lib. 5. c. 175.

ctura colligere quiuis facile potest) commentitiae fabulae argumētum Socratem cum Sozomeno sumpsisse, cōcinnasseq. opinor. Cum enim ille saepe testetur, se non hortari quemquam, vt in publicū prodeat, atque in theatro delicta sua cōfiteatur, aut alteri publicet, sed Deo soli; occasionem arripuisse videntur affirmandi olim in Catholica Ecclesia ritum odiosum fuisse, vt quis tāquam in theatro praesente Ecclesiae multitudine peccata sua pronūtiaret. Quia vero in hac parte Socratis historia decurtata omnino, & manca manifesto apparet; eam ex Sozomeno integram adscribendam curaui: ex vtraq. vero, quae diligenter examinanda visa erāt, commode suis locis inseram. Sozomeni verba haec sunt: *Hoc tempore presbyterum, qui paenitentibus deputatus esset, esse non amplius passus est omnium pri-* Lib. 7. c. 16 hist. eccl.

mus

mus Nectarius Constantinopolitanae Ecclesiae Episcopus, quē omnium ferme Ecclesiarum praesules imitati sunt. Quid autem hoc sit, aut vnde originem sumpserit, aut quam ob causam sublatum fuerit (alij fortasse aliter referunt) ego autem quid mihi videatur explicabo. Etenim cum prorsus non peccare naturae sit humana superioris, paenitentibus autem quamuis frequēter deliquissent, veniam dari Deus iusserit, & ad impetrandam deniq. veniam confiteri peccata necessarium sit; odiosum (vt credibile est) sacerdotibus ab initio visum fuit, tamquam in theatro audiente Ecclesiae multitudine delicta pronuntiare. Presbyterū itaq. aliquem vitae integritate quam maxime spectabilem, secretorum etiam tenacem, ac sapientē huic officio praefecerunt.

Lib. 5. c. 19. hist. eccl. Socrates autem ita narrationem instituit: *Per idem tempus* (inquit) *visum est Ecclesiae; vt presbyteri, qui in singulis Ecclesijs paenitentiae praeerant, tollerentur.*

lerentur. Idq. hac de causa. Ab illo tempore, quo Nouatiani se ab Ecclesia seiunxerant, recusauerantq. cum ijs, qui tempore persecutionis regnante Decio concitatae, lapsi erant, communicare; Ecclesiarum Episcopi Canoni adiunxerunt, ut in singulis Ecclesijs presbyter quidam paenitentiae praeesset; quo qui post baptismũ lapsi fuissent, coram presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur. Iste Canon adhuc apud alias sectas ratus, firmusq. manet. Soli autem qui fidẽ Cõsubstantialis tenent, cum Nouatianis, qui cum illis in ea fide consentiũt, presbyterum paenitentiarium reiecerunt. Nouatiani vero ne initio quidem istã quasi appendicem admiserunt. Episcopi qui iã praesunt Ecclesijs, quamuis ad longinquum temporis spatium hoc tenerent institutum, temporibus Nectarij Episcopi immutarunt: propter huiusmodi facinus, quod forte fortuna in Ecclesia tum admissum est. Hunc scopum fraudolẽti

viri

viri considerent mecũ eruditi. Haec enim scena & apparatus totius fabulae expendatur prius necesse est, quam fabulae argumentum attingimus. *Visum est*(inquit)*Ecclesiæ:* quam hic veterator Ecclesiam designare potest, praeter catholicam? At eam nunquam tale quid fecisse auditum, aut scriptum est. Ante enim Nouatiani schisma scripserat Tertullianus inter Latinos de paenitentia volumen egregium; scripserat de ea passim multa inter Graecos Origenes, praesertim vero in Leuiticum de eius necessitate, & vsu disseruit. Erat iam tum igitur in Ecclesia vetustissimus paenitentiae ritus institutus, sacerdotes electi, & forma quaedam non modo peccata Sacerdoti secreto confitendi, sed etiam paenitentiae praescriptus, pro qualitate, & quãtitate peccatorum modus: praesertim in grauioribus pu-

Homil.2 & 15.

Sozom. ubi supra Niceph. 12.c.28.

blicis-

blicisque delictis, quae etiam publica paenitentia expiabantur. Deinde quaenam ista fuit Ecclesia, quiue Episcopi; quibus visum est canonē pro re nata necessariū statuere? Vbi locorum coacta synodus, quo indicente, quo imperante, quibus Coss. quo scriptore prodente? an haec omnia omissa fraudem non palam indicant? an non conficta omnia manifeste clamitant? Quaenam igitur commentitia haec fuit Ecclesia, quae post Nouatiani schisma statuit paenitentiarium presbyterum instituendum; & Nectario Episcopo praesidente post annos paene cētū quadraginta eundem esse tollendum? profecto nemo facile dixerit; quin immo contra audacter, ac vere affirmare poterit in Ecclesia catholica, & ante Nouatianum semper ac deinceps, tū peccatorum confessionē sacerdotibus fieri, tū ab eis paenitentiae

nitētiae modū imponi cōsueuisse. Si quid autem uideri nouum potuit accidisse post Nouatiani schisma, id vnū certe fuit; quod peccatorum licentia in dies magis aucta est, sublato cōfitendi pudore, ac laboriosae paenitentiae actione conculcata. Quod ipsemet Socrates, & Sozomenus ac Nicephorus ingenue fateri diuina veritatis vi coacti sunt, vt infra ostendemus. Non fuisse autem ab Ecclesia Catholica ritum aliquē innouatum circa lapsorum paenitentiam post Nouatiani schisma docent nos eiusdē Ecclesiae firmissimae eius temporis columnae Cornelius Rom. Pont. Cyprianus Carthaginensis, & Dionysius Alexandrinus, quorum Epistolae ab Eusebio Caesariensi recitātur, in quibus Nouatiani vita, scelera, schismaq. describitur, eiusque inhumana crudelitas condemnatur. Cypriani vero

vbi supra.

Lib. 6. c. 35. hist. eccl.

plures

plures Epistolae ad Cornelium Papam, ad Confessores, & liber de lapsis palam declarant, nihil innouatum in Ecclesia propter lapsos, aut Nouatiani schisma & Nouati haeresim fuisse, sed tā in Concilio LX. Episcoporum Romae a Cornelio habito, quam Carthagini Cypriani vigilātia prouisum esse, ne temere lapsis nisi legitima peracta paenitentia pax, & mysteriorum comumnicatio daretur: etiam si martyrum uel cōfessorum libellis maxime cōmendarentur. Potuit forte hic aliquid innouatum uideri ijs, qui veterem in Ecclesia ritum non diligenter cōsiderarunt; modumq. & formam in peccatorum confessione paenitentiaq. institutam ab initio ac semper obseruatam non animaduerterunt. Dissimulauit astute haec omnia Socrates; & Sozomenus, qui cum Nicephoro in hac commētitia fabula *Damas in Pont*

illum

illum ſecuti incaute ſunt. Scripſe-
runt Epiphanius, Theodoretus, Zo
naras, Cedrenus ea, quae viuente Ne
ctario notabiliora acciderant; cur
ergo tot, tantique viri rem tāti mo-
menti miro ſilentio praetereundam
omnino exiſtimaſſent, ſi vel leuiſsi
ma quidem eius rei ſuſpicio apud
homines viguiſſet? certe non eſt ve
riſimile: cum praeſertim Theodo-
retus tā in hiſtoria, quam in haereti
cis fabulis, & decretis catholicis
Nouatiani errores, ac de paeniten-
tiae in catholica Eccleſia ſolēni ri-
tu vſq. ab Apoſtolis ſemper reten-
to tam multa pie, prudenterq. ſcri-
pſerit. Quid de Latinis Eccleſiae
ſcriptoribus ſentiendum? Ambro-
ſium, Pacianum, Hieronymum, Rufi
num, Auguſtinum dico; quibus ſu-
perſtitibus Nectarius praefuit, num
tantae rei mutationem in Eccleſia
Dei factam diſſimulaſſent, ac ne vno
quidem

quidem verbo eius rei mentionem fieri oportere ſtatuiſſent, vt in ea re Nouatianis gratificarentur? Sed nimirum id verum eſt, caecutiunt homines facillime, vbi quid ſupra modum appetũt, amiſſo veritatis lumine, vt ſaepe ſecum pugnare videas; cum ſemel a veritatis ſemita exciderunt. qua poena fere omnes vſq. in hanc diem haereticos a Deo multatos fuiſſe cognouimus. Sed vt alia pauca examinemus. Quaenã aliae ſectae ſunt, apud quas Canon ille de presbytero paenitentiario inſtitutus, ratus, firmuſq. manet; ſoli autem, qui Conſubſtantialis fidem tenẽt, cum Nouatianis, qui cũ illis in ea fide conſentiunt, presbyterũ paenitentiarium reiecerunt? Quãquam enim ſectarum nomen indifferẽs in bonam partem Lucas in Act. accepe rit; apud Paulum tamen, & Petrum in deteriorem ſemper partem inue- nimus

Ibid.

Act. ca. 26.
Gal. 5.
2. Pet. 2.


nimus, vt hodieq. passim omnes interpretamur. Quae hic igitur aliae sunt sectae, quam eae, quibuscũ Nouatiani nõ cõmunicant, & Cõsubstantialis fidẽ tenent, quae Canonẽ de presbytero paenitẽtiario institutum, ratũ, firmumq. tenent; atq. eo discrimine a Nouatianis separãtur? Si separantur a Nouatianis; aliarum sectarũ nomine necessario Catholica Ecclesia cẽsenda erit; nõ aũt aliae quaeuis haereses, si quae tũ forte vigebãt, & cũ Nouatianis conueniebãt. Hic aũt quis non videat sectarũ nomine a fraudolento historico catholicae Ecclesiae auctoritatẽ cõtumeliose perstringi, eiq. tam infami vocabulo odiũ apud oẽs inuidiãq. creari? Haec si diligentius considerasset Canus & Billius, nõ satis (credo) visum illis fuisset ostendere Socratem Nouatianarum partium studiosissimum, eorum gesta tam effuse

pafsim

passim extollere ac laudare. Ea enim et si corruptum hominis ingenium, animumq. declarant, non tamen eo vsq. progressum arguunt, vt palam Catholicae Ecclesiae auctoritatem in derisum adduceret: quod hic facere ausus est conficta etiã fabella; quo in legẽtium animos furtim facilius penetraret: eaque fraude Nouatianorum de Catholica Ecclesia triumphũ, si quomodo fieri posset, in posterum firmum statueret. Sed percurramus reliqua: *Soli*, inquit, *qui Consubstantialis fidem tenent, cum Nouatianis, qui cum illis in ea fide consentiũt; praesbyterum paenitentiariũ reiecerũt.* Ibid.
Aut ego hic parum video, aut Socrates manifesto secum pugnat; Quem enim presbyterum paenitentiarium reiecerunt Nouatiani, si ab initio non receperunt? continuo enim subijcit: *Nouatiani vero ne initio quidẽ istam quasi appendicem admiserunt.* At- Ibid.

demus eum minus proprie locutũ, dum priuatim ſingulis vim eius verbi accommodare non poteſt. Reliqua expẽdamus: Sequitur enim: *Epiſcopi vero praeſidentes Eccleſijs quamuis ad longinquum temporis ſpatium hoc tenerent inſtitutum, tamen temporibus Nectarij Epiſcopi immutarunt. propter huiuſmodi facinus, quod forte fortuna in Eccleſia admiſſũ fuit.* Quam fraudolẽter, vt cancer, Veteratoris huius ſermo ſerpat, animũ quaeſo aduertite; Epiſcopos, ait, qui vſque ad Nectarium Eccleſijs praeſidebant per lõgum tempus veteris inſtituti tenaces fuiſſe, vt eos virtute conſtantiæ laudare uideretur; ne poſtea quam ueteris eius inſtituti rationem nullã habendam eſſe ſtatuerunt, leuitatis & inconſtantiae nomine damnari poſſent; quaſi ita temporum neceſſitate poſtulãte, aut uerius rei ueritate clarius intellecta, ſententiam pru-

denter mutarint. Vt demus enim occasione sceleris in vna Ecclesia commissi, Nectario visum fuisse vetus institutum necessario mutandum, quae ratio suadere potuit, vt Episcopi orientales omnes vetustissimũ ritum in Ecclesia semper retentum vnius Episcopi exẽplo penitus abolerent? Quis hic non videat scriptoris dolosum artificium, vt commentitiae fabellae suae fidẽ obiter astrueret, haec omnia quasi scenae apparatum diligenter explicasse? Expendamus deinceps sequentia: *Nouatiani* Ibid. *vero*, inquit, *ne initio quidem istã quasi appendicem admiserunt*. Initium hoc, in quo velut cardine totius fabulae occultarum machinarum molimina versantur; quale sit, quo tẽpore coeptum, quaue de causa, operę pretiũ est diligenter inuestigare. Si enim post Nouatiani schisma, vt Sozomenus prodidit, & retulit Nicephorus Ibid.



ea de causa initiũ factum est, vt presbyter paenitentiarius in Ecclesijs constitueretur; consequitur necessario ante Nouatiani schisma nunquã confessionis, ac paenitentiae ritum in Ecclesia fuisse. Qua fronte autem audeat Socrates negare, quod Nouatianus ipse dum adhuc in Ecclesia esset, edito ad hoc nominatim libro de Negatoribus vel lapsis recipiẽdis ꝓfessus est? Id quod Cyprianus Epistola ad Antonianum his verbis nar-
Epist. 2. lib. 4. rauit: *Additum est etiã Nouatiano tunc scribente, & quod scripserat sua voce recitãte, & presbytero Moyse tum adhuc confessore, nũc iam martyre subscribẽte, vt lapsis infirmis, & in exitu cõstitutis pax daretur. Quae litterae per totũ mũdum missae sunt.* Et Pacianus asserit ad Sympronianum cõtra Nouatianos scri-
Epist. 3. bens: *Quem librũ*, ait, *& scripsit, & suasit, & legit; additq. infra: Quid*, ait, *Symproniane frater? Nouatianus haec scripsit,*

&

& vt obſequiũ merae volũtatis adiungeret, etiã ſcripta recitauit. Teſtis eſt eius dextera, teſtis quae ſcripſit manus, teſtis lingua, quae legit: adhuc Cornelius Epiſcopus nõ erat. Quo enim alio praetextu ſchiſma ſuũ colorare ſtuduit, quam quod Eccleſia paenitentes lapſos recipiebat? qd hoc praeuaricatore impudentius fingi poteſt. Erat igitur hoc ĩ Eccleſia inſtitutũ vetus, quod quia qui Eccleſiae praeerãt religioſe retinendũ cẽſuerunt, Nouatianus doloris impatiẽs, quod ipſi Cornelius praelatus eſſet, ab Eccleſia deſciuit; & contra ea, quae prius ſanus ſcripſerat, palam auſus eſt lapſis paenitentibus affirmare Eccleſiam dare pacem & communionem myſteriorum non poſſe. Non ergo initium poſt Nouatiani ſchiſma factum eſt; mentitur igitur manifeſte Socrates, quamquam mancus in hac narratione & parũ ſibi cõſtante, apparet, Ex

Sozom. l. 7. c. 16. Niceph. l. 12. c. 28

Sozomeno tamen ea facile restitui-
tur quam supra apposui. Quis ergo
hoc impudentissimi hominis men-
dacium ferat, in re tanti momenti
describenda? Nicephoro certe con
donari potest, qui historiam suam
ex aliis collectam contexuit post
octingentos quadraginta plus mi-
nus annos a Socrate. Scripsit enim
Bonifacio VIII. Pont. Rom. So-
crates vero, & Sozomenus circa an-
num Domini quadringentesimum
quadragesimum. Fuit quidem in Ec-
clesia catholica pro varia temporũ
condicione interdum in curandis
animorũ morbis facilior, mitiorq;
disciplina, interdum vero seuerior
in publicis praesertim grauioribus-
que delictis; quum passim saeuiente
persecutione lapsorum numerus au
geretur, atq. ad mali eius incremen-
tum sacerdotum facilitas in danda
lapsis pace deprehensa est, maiorem

in dies causam praebuisse. Qua de re B. Cyprianus maxime questus est. quum lapsorum multitudo omnem (quod aiunt) lapidem importunissime moueret: vt pacem ab Ecclesia crudo adhuc tempore, nulla prius peracta legitima paenitentia impetraret: quod quia Episcoporum vigilantia consequi non poterant, ipsi sua sponte coeperunt peccata sua publice profiteri, vt salubri hoc cõsilio, humiliq. confessione aliqua ex parte sacerdotum misericordiã prouocarent. Haec igitur fuit tunc non quasi in theatro instituta peccatorum pronuntiatio, sed voluntaria lapsorum professio. Non debuit ergo appellari odiosum institutum, quod lapsi ipsi nemine imperante necessarium praesidium prudenter salubriterque amplexi sunt: quo citius faciliusque ad Ecclesiae communionem aliquando tandem

Libr. 3. Epist. 14 vsque ad 20. & serm. de lapsis.

peracta

peracta paenitentia admitterentur. Haec pluribus forte, quam veritatis per se manifestę ratio postularet, sum persecutus, quod rem nouam arduamque aggressus, non existimaui facile multis persuaderi posse, historiam hanc post annos mille centum sexaginta falsitatis argui, atque adulterinam pronuntiari debere. Sed expendamus tandem lepidissimam prima fronte, sed in recessu fraudolentam, maximeque perniciosam, quam hic commentus est, fabulam. In qua comminiscenda singularis eius calliditas facile deprehenditur. Quia enim Nectarius vir nobilis Patricius, Praetorq. Constātinopolitanus vitae quidem innocentissimae, sed grandaeuus adhuc catechumenus, nulla sacrarum litterarum scientia, nulla dicendi aut scribēdi facultate praeditus ad eam regendam Ecclesiam post Grego-

rium Nazianzenum, & ante Ioannem Chrysostomum electus fuit; nō potuit Socrates aliud tēpus eligere ad fabulam concinnandam accōmodatius, quam Nectarij, qui nihil vnquam scripsit. Astute igitur Socrates eam nouitatem Nectario facile tribui posse intellexit. quem virum Gregorius Nazianzenus modeste admodum, sed tamen acriter reprehendit, quod in Ecclesiae munere strenue obeundo valde deficeret. testis est eius Epistola ad Nectarium ipsum, quae extat publice. Nō fuit igitur Socrates in tempore, & persona deligēda ad fabulam suam accommodata parum sagax. Sed iam fabulam ipsam videamus: *Mulier quaedam nobilis*, inquit, *ad presbyterum paenitentiarium accedit, peccata, quae post baptismum commiserat, particulatim confitetur; presbyter mulieri mandatum dat, vt ieiunijs, & conti-* *Ibid.*

nuis

nuis precibus se dederet, quo vna cum peccatorum confessione opus dignum paenitentiae ostenderet. Mulier longius in confitendo progressa, alterius culpae se ipsa insimulat; docet diaconum Ecclesiae cum ipsa dormisse. Ob quod facinus hoc modo patefactum diaconus ab Ecclesia deiectus est; tumultus inde in populi multitudine excitatus. Nam indignabantur non solum de admisso flagitio, verũ etiam quod inde grauis infamiæ, & contumeliæ nota Ecclesiae inusta esset. Itaque quum sacerdotibus ob eam causam esset vehementer obtrectatum, Eudaemon quidam Ecclesiae presbyter genere Alexandrinus Episcopo Nectario dedit consilium, vt presbyterum paenitentiarium tolleret: & liberam daret potestatem, vti pro sua quisque conscientia ad mysteria percipienda accederet; nam eo pacto solum futurum esse, vt Ecclesia omni macula careret infamiae. Hactenus Socratis verba, quibus extremam fa

bulae commentitiae ſuae cataſtrophen complexus eſt. Ego cum ſatis mihi videar immoratus in explicanda totius fabulae ſcena; id vnum de fabula dicam, non ſatis emunctae naris mihi videri eos, qui cum praemiſſa diligenter expenderint, nondum tamen odorati plane ſint egregiae fabulae fraudolentiſſimum cõmentum. Vt igitur breuiter ijs quoque ſatisfaciam; peto cõfidenter ab omnibus, vt quod eſt in veteri prouerbio, mecum recogitent: *Mendacem memorem eſſe oportere*. Vt enim rei vanae nulla eſt ſoliditas, ita difficile quis in re conficta tam caute progredi poterit, vt non excidat; cum quo curſum dirigat, certum aliquod fundamentum non habeat: *Presbyter paenitentiarius*, inquit, *vir grauis, ſapiens, & (quod caput eſt) ſecreti inprimis tenax ab Epiſcopis eo cõſilio in Eccleſijs inſtitutus eſt, confeſsio-* Sozom. vbi ſup.

nibus

nibus audiendis, ne tanquam in theatro audiente Ecclesiæ multitudine peccata quisq. sua pronuntiaret. quod reuera & odiosum erat maxime, & multos (vt verisimile est) propter verecundiam a peccatorum confessione facienda retrahebant. Videamus nunc quantum huic prudenti consilio res ipsa atq. exitus fabulae respondeat: *Mulier nobilis cum semel peccata sua confessa secreto esset, ac paenitentiae modum impositum expleuisset; iterum confessa est cum Diacono Ecclesiae corpus suum miscuisse.* Quid hic erat expectandum a presbytero secreti tenacissimo, nisi vt imposita secreta salutariq. paenitētia suo munere rite perfungeretur? Cur ergo hoc nefarium sacrilegiū publicatum est, ita vt populus tumultuaretur? Hoccine paenitentiarij presbyteri sacrilegium dissimulare Nectarius, aut rem ipsam per se vtilissimam eliminare ab Ecclesia

ſua debuit? Quis ita deſipiat, vt ſi quid tale ipſi contigiſſet, tãtum nefas committere auſus eſſet? Rimarum certe plena eſt commentitia fabula, ita hinc, atque inde fraus effluit, vt ad ipſam coarguendam liberaliſsime nobis plurima argumenta ſuppeditet; quo nomine Socrati partim gratias agimus, quod neminẽ imprudentem fefellit; partim malitioſae fraudis eumdem iure optimo reum facimus. quod enim maxime ſtuduit, ſi nõ eſt aſſecutus, fraudolentum tamen animum ſuum celare non potuit. Repetamus nunc iterum Nectarij factum; videamuſque an ſaltem excuſari aliqua ratione poſſit ab impietate, atque iniquitate. Quod erat ad omnium ſalutem in Eccleſia ſanctiſſime inſtitutum ſubſtulit, animarumque ſibi cõmiſſarum periculo, immo verius certo diſpendio innocentem popu

lum ſuum crudeliſsime multauit: presbyterum vero paenitentiarium manifeſto ſacrilegij crimine maculatum, cuius ſcelere populi tumultus excitatus, ſacerdotum ordinem, Eccleſiaeque auctoritatem conuicijs ac maledictis ꝑſcindebat, praepoſtera quadam humanitate abuſus ſatis habuit ab officio paenitentiarij, quod per ſe graue, ac laborioſum erat, liberare. Haeccine ouium eius charitas, haeccine contra facinoroſos diſciplinae ſeueritas merebitur appellari? Hiccine poterit Axiomaticus, prudens, vitaeque innocentiſsimae vir ab omnibus vno ore celebrari? qui in ſynodo Cõſtãtinopolitana prima CL. Epiſcoporum ſuffragio Epiſcopus Conſtantinopolitanus electus Gregorio Naziãzeno ſucceſsit. Eam vero nouitatem ſi in Eccleſia Conſtantinopolitana contigiſſet, Romani Pontifices,

Niceph. in Chronologia. Photius de Synodis c. 2. Socra. 5. cap. 8. Sozom. 7. cap. 8. Niceph. lib 12. c. 12.

tifices, qui Ecclesiae catholicae tūc praeerant, tacitam atq. inultam esse passi essent? cū minora semper corrigere atq. emendare studuerint? Testes sunt multorum Pontificum Epistolae quāplurimae ad diuersas Ecclesias per vniuersum Christianum orbem missae. Nectario igitur adscribi poterit tam impium factum, cuius praeter Nouatianum Socratē nemo vnquam meminit? Quae autē aetas clarissimorum scriptorum, sanctissimorumq. Patrum, atq. catholicae Ecclesiae Doctorum copiosius examen profudit, quam ea ipsa, in qua Nectarius floruit? Damasus Romae, ac deinceps Syricius Episcopatum gessit, Ambrosius Mediolani, Gregorius Nazianzi, Hieronymus presbyter, Ioannes Chrysostomus qui huic Nectario successit; Augustinus Hipponensis Episcopus Ecclesiae catholicae lumen, poterit ne

tot, tantisq. viris ſuperſtitibus, qui tam multa diligentiſſime ſcripſerũt, tantum facinus occultum fuiſſe? aut ſilentio praeteritum exiſtimari?

Rufinus 2. c. 18. Theod. 5. c. 17. Sozom. 5. c. 24.

Quid? Theodoſius Imperator catholicus, qui ab Ambroſio ob iniuſtiſſimam Theſſalonicenſiũ caedem ab ingreſſu Eccleſiae repulſus paenitentiam publicam peregit, atque inter laicos communicare tandem permiſſus eſt; cum Conſtantinopolim reuerſus, atque a Nectario intra presbyteriũ inuitatus eſt: num hoc tantum in ea Eccleſia non recte factum reprehendiſſet; & non potius paenitentiae ſalutaris veterẽ in Eccleſia ritum ſemper retentum, atque ab ipſo Imperatore religioſiſſime obſeruatũ, a Nectario temere ſublatum exprobraſſet, reſtituẽdumq; omnino ſtatim ſtuduiſſet? At Eudaemonis id conſiliũ fuit, quam vereor ne Cacodaemonis potius non con-

ſilium Nectario datum, ſed Socratis dolus malus Nectarium falſo cõmentus ſit id feciſſe, quod nec factũ vmquam aut cogitatum fuit, niſi a deſperatis haereticis. Quando autem permiſſum vmquam fuit, vt ſine peccatorũ confeſsione nulla peracta paenitentia, ſublatoque paenitentiario presbytero, vnuſquiſque pro ſua conſcientia ad participanda ſacra myſteria admitteretur? Nõ ne etiã qui publice peccaſſent, potuiſſent ſuo iure a ſacerdotibus ſine vlla paenitentia communionem extorquere? atque ita ſacerdotes coacti fuiſſent contra Chriſti mandatũ porcis & canibus ſacramẽta proijcere cõculcãda? Quid ergo hic Socrates vidit, quod Nouatianis ſuis patrocinaretur? In eo enim quod paenitentiã ſubſtulit, vt videatur ali quid illorum haereſim approbaſſe; certe ex altera parte eorum crudeli-

tatem palam condemnauit; cum ad Ecclesiae communionem & pacem paſsim omnes recipi conſueuiſſe aſſerũt. Nulla igitur reuera in Eccleſia facta eſt nouatio, quam Nouatianus Socrates conficta fraudolenter fabula commẽtus eſt. Sed videamus tandẽ qua ratione egregius veterator putauit ſibi ad fidem totius fabulae comparandam firmiſsimum gradum eſſe facturum. Obijcit Eudaemoni, quod catholicus quiſque iure potuiſſet obijcere. Factum ſcilicet ipſius conſilio, vt in poſterum libera omnibus ſit peccandi licẽtia; Apoſtolique praeceptum nemo audeat exequi, vt arguat ſcilicet publice peccantem. Conſtare tandem arbitror fraude Socratis factum, vt in quaeſtiones inexplicabiles tãquam in labyrinthum pars magna Theologorum ſe coniecerit: quorũ quidem ſtudium laudabile, & pietatis

[E]ph. 5.
[1.] Tim. 5

plenum non possum non magnopere cõmendare: sed vicissim non admirari vehementer, vt quod primũ praecipuũque erat in ea historia cõsiderãdum, stupore quodam affecti, &(vt Apostoli verbo vtar) fascinati Gal. 3 tam oscitãter praetermiserint, commentumque falsissimum pro vera historia confidenter receperint.

Hactenus quae tenues ingenioli mei, aetatisq. effoetae vires praestare in re difficili, (post ea quae notarunt viri eruditi Ioannes Hasselius, Marianus Victorius, Alanus Copus, & Iacobus Pamelius in Tertulliani libro de Paenitẽtia, quos tamen leuiter percurri) iuuante Christo potuerunt. Ea nũc libẽter cõmunicaui, vt quid tandẽ viri eruditi de tota re mature prius examinata sentiendũ statuant, pro sua quisq. virili parte catholicae Ecclesiæ causa vt indicẽt rogatos se etiam atq. etiam vehe-

menter esse arbitrentur. Cuius ego Ecclesiae censurae hasce meas considerationes humiliter subijcio.

Post Nouatiani schisma Nouatique haeresim extant Petri Alexādrini Episcopi Canones paenitentiales. Epistolae quoque Athanasij ad Rufinianū, Basilij ad Amphilochiū, Gregorij Nysseni ad Latoiū. Quae omnia habentur cum Theodori Balsamonis Scholijs.